



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enchiridion Erasmi Roterodami Germani De Milite Christiano

Erasmus, Desiderius

Lypsi, 1516

VD16 E 2746

Canon Septimus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33324

non tam satis innotandum verbis, quam moribus exprimendum. Neque rursus sic indulgendum infirmitati vulgi, ut veritate in loco fortiter tueri non audeas. Humanitate emendandi sunt homines, non decipiendi.

¶ Canon Septimus.

Porro si per infantiam & imbecillitatem animi nostri non duntaxat ad ipsa spiritualia licebit aspirare, nihil tamen seignius danda erit opera, ut saltem in proximis consistamus. Alioqui vera conpendiariaque ad felicitatem via est, si semel totam mentem ita ad celestium rerum admirationem converterimus, ut veluti corpus umbram, ita amor Christi, amor aeternorum & honestorum natura secum adducat fastidium carnicorum, & odium turpium. Vtriusque enim necessario consequitur alterum & alterum cum altero, vel crescit, vel decrescit. Quantum profeceris in amore Christi, tantum oderis mundum. Quo magis miraberis inuisibilia, hoc magis vilescunt res fluxae, ac momentaneae. Oportet igitur quod in istis suadet Fabius, idem & in virtutis facere disciplinam ut statim ad optima nitamur. Quod tamen si nostro vicio non contingat, proximum est, ut vel humana quadam prudentia / a magnis vicibus abstinere, nosque ipsos (quoad fieri poterit) integros divinae beneficentiae seruiamus. Nam ut saluti propius est corpus exhaustum quidem illud & inane, verum noxijs humoribus liberum, ita mens capacior est divinae muneris, non duntaxat gravibus culpis inquinata, tamen etsi vera virtute adhuc vacat. Si imbecilliores sumus, quam ut apostolos, ut martyres, ut virgines imitemur, saltem ne committamus, ut ethnici nos in hoc studio videant percurrere. Quorum plerique / quum neque deum nosset, quae vererent, neque inferos crederent, quos formidarent, tamen ipsam per se turpitudinem modis omnibus fugiendam esse homini censuerunt, adeo ut nonnulli maluerint / fame, rei, vitae denique iacturam facere, quam ab honesto discedere. Si per tale quiddam est peccatum, ut nullus commodis aut incommodis propositis sit admittendum, profecto Christianum hominem, si non dei, vel iusticia deterret, vel dehortatur beneficentia, si non vel spes immortalitatis vel aeternae poenae metus reuocat, si ne ipsa quidem nativa peccati turpitudine retrahit, quae potuit & gentiliu animos retrahere, saltem mille incommoda detereant, quae etiam in hac vita pec-

Optima ab initio proponenda

Gentiliu virtus ac probitas.

Peccata quae obrem in vicia vitanda.

cantem consequuntur, infamia, dispendium rei, egestas, contemptus
& odium bonorum, anxietas animi/inquietudo, & ille/multo mi-
serius/conscientie mentis cruciatus, quem etiam si nonnulli in praesens
sentiant non sentiunt, siue aetatis ebetudine obscurati, siue peccati
voluptate debriati, tamen sentient posterius, & omnino tanto
sentient infelicius, quanto saevius, Quare iuvenes potissimum
sunt admonendi, ut hanc esse peccati naturam, malint tot autho-
ribus credere, quam infelici experientia in semetipsis discere, neque
prius vitam vicis contaminent, quam plane quid sit vita cognos-
uerint. Si tibi vilis est Christus, cui tu tanti constas, saltem tua
ipsius causa temperato a turpibus. Et quamquam vehementer peri-
culosum est, hoc in statu, velut in trivio (quod autem) diutius com-
morari, tamen istis qui nondum queunt ad heroicam assurgere vir-
tutem, non paulo prestabilis est in politica virtute consistere,
quam in omni turpitudinis genere ire praecipites. Non hic est felici-
tatis meta, sed hinc propior ad felicitatem gradus. Interim tamen
semper orandus deus, ut nos ad meliora dignetur arripere.

¶ Canon Octavus.

Si crebrius ac gravius ingruet in te tentationum procella, ne pro-
tinus tibi incipias displicere, quasi ob id deo tuo vel curae/vel
cordi non sis, aut parum pius aut etiam minus perfectus. Imo potius
gratias age, quod ut futurum heredem erudit, ut charissimum filium
flagellat, ut amicum explorat. Maximum est argumentum hominem
a divina misericordia reiectum esse, quum nullis tentationibus in-
cessit. In mentem tibi veniat Paulus apostolus qui ad tertium caeli mys-
teria permeruit admitti, tamen ab angelo Satanae colaphizatus.
Succurrat amicus dei Iob, succurrat Hieronymus, Benedictus,
Franciscus, cumque his innumerabiles alij patres, maximis de vi-
cis sollicitati. Si cum tantis viris, si cum tam multis tibi commune
est quod pateris, quod est, quare animum deicias? Magis enitere
ut cum illis vincas. Non destituet te deus, & faciet etiam cum tenta-
tione proventum, ut possis sustinere.

¶ Canon Nonus.

Quod callidi solent imperatores facere, ut in tranquillis
etiam rebus/tamen excubias agant, itidem tu quoque semper

Prosper) etiam
rebus cavendum.

Tentatio frequens
qualiter sustinenda sit.

Heb 12

2 co. 12

1 co. 10,